



G.Y.G.



בשם מלאך הכרית:

LEGATUS,

Dissertatione Politicâ geminâ
repræsentatus,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES ERNESTO

GERHARDO JENENSE, Coll.Philos.Adj.

in almâ LEUCOREA
publicè ad disputandum
propositus

JOHANNES CHRISTOPHORO Schmid/

Dresdensi.

Disputatio posterior

Habebitur in Auditorio Philosophorum
horis antemerid.

d. XXVII. Martii

è Chalcographèo JOBI WILHELMI FINCELII,

Anno M D C L.



LEGGATIS

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

DEPARTMENT OF

JESU CHRISTO SERVATORE
DANTE!

ANIMO quidem sedebat, uno intuitu *Legatum* nostrum exhibere, nec nisi semel in scenam audiendum eum examinandi mō; producere; Verūm cū Leges amplissimi Ordinis Philosophici in inclutā hāc Leucoreā angustioribus, quā fieri poterat, includere illius virtutes vitiaq; cancellis juberent, necessum fuit, in limine propè eum retrahere, ac vix umbram de eo in spectatorum relinquere animis. Ex quo vero illum nihilominus quibusdam non displicuisse lubentes cognovimus, fronte explicatā denuò eundem publicè novā quadam facie sistimus, insimulque non conspiciendum solum eum, sed intimiùs cognoscendum, quin & excutiendum cunctis relinquimus. Vos spectatores vel Lectores potius honoratissimi, linguis animisq; favete!

CAPUT I.

Legati *vita* perquam illustris ac multorum exposita conspectui est. Quapropter ubiq; radios de se omnigenæ virtutis Legatus spargat. Prudenter omnia agat. Quod ut eò meliùs perficere possit, *litteris* instructus sit ac *experientia*. Ex illis cum primis *eloquentiam* paratam habeat, quæ non in superbâ peregrinorum vocabulorum coacervatione consistit, neq; etiam in multiloquio, quod quàm ingratum sit, ostenditur. Requiritur verò ad orationem Legati, ut *veritati* consona sit, ac *constantiam* animi prodat. An Legatus quædam *secretò* habere possit ac debeat? *Linguarum variarum peritia* Legatō necessaria.

Illustris quædam persona Legatus cū sit, in quam etiam omnium non immeritò oculi conjiciuntur, quæque prorsus non in solitudine latere possit, sed potius ceu in altissimâ speculâ conspiciendam se demonstrandamque cunctis præbere

a) Bibliogr. Pol.
ex edit. Magni
nostri Buch-
neri p. 103.

cogatur, *cujus* quippe *vita*, ut elegantissimus *Naudæus* loquitur, (a) *in oculis potentissimorum populorum atq; in mediâ Regno- rum ac Rerumpubl. luce versari debet*; quare *vitam* ejus omnes- que actiones speculum quoddam esse volumus, quo in maximi & minimi, summi & infimi cernant egregiam radiantemq; virtutis singularis imaginem, pectori animoq; firmiter imprimendam. *Eloquens* sit Legatus, & tamen inciturnus; *aman- tissimus Patriæ suæ* sit, iram tamen erga illum, ad quem able- gatur, moderari sciat prudenter; *Magnanimus* sit Legatus, nec tamen quicquam ad suum, sed omnia ad Legantis dirigat ho- norem; non admittat etiam quemlibet, sed quem salvâ pietate potest. *Liberalis* sit Legatus, cum nemo non ex arcâ illius ceu è fonte quodam haurire cupiat, ita tamen liberalitatem moderetur, sicq; fontem hunc profluere faciat, ne nimîâ pro- fusione inarescat. *Simulandi* peritus sit Legatus, nihil tamen agat perfidè. *Comis* sit Legatus, nemini tamen facilè fiat fa- miliaris. Convivia non aversetur prorsus, & tamen sit *sobrius*. Summa, ita ubiq; prudentiam suam Legatus prodat, ut Legan- ti honori sit, aliis admirationi. *Prudentiam* v. Legatus augere studeat *literis* partim, partim *experientiâ*, quæ frequenti pe- regrinatione ac aliorum Regnorum populorumq; perlustra- tione brevi tanta, quanta aliàs tempore longo, capit incre- menta. Ex illis eloquentiam, prudentiam, eruditionem va- riam, historiam civilem, & quæ ante se gesta sunt, cognita ha- beat; hæc robur addat, ac moderetur actiones cunctas. Et ELO- QUENTIA quidè tam necessaria Legato est, ut absq; hac ne no- mine quidem Legati dignus censeatur. Neq; enim muneribus saltim ac rerû pondere id quod volumus, impetramus semper, sed miram quoq; vim exquisiti sermones habent & orationis aculei. *Facundia* sanè ubi penitus à Legato abest, quid nisi αὐτο- νοῦ ἐπιτοπῶν dixeris cum *Antiphane*? Sin potius manca mutilaq; sit, quàm nulla: scio, (scribit egregius Orator *Gerh. Joh. Vossius* (b) *adsumi* solere *συναγορεύουσα*, ut verbo utar, quo *Halicarnassensis* *Dionysius* hanc rem expressit: ubi id fecisse ait *Tarentinorum* ac *Nolanorum* Legatos, cum in *Neapolitano* Senatu dicendum esset. Ac quorundam *judicium* esse video, non magis id illis vitio verti

b) epist. dedic.
super Rhetor.
Contr. ad elo-
quentissimum
Regis Gallie
Legatum.

verti debere, quàm acri & strenuo viro *Lysandro*, cum orationem edidicit, scriptam sibi à *Cleone Halicarnasæo*. Agnovit robur hocce eloquentiæ Rex *Pyrrhus*, quare etiam hoc encomio Legati sui, (*Cyneas* is *Thessalus* erat, *Demosthenis* institutione clarus,) memoriam æternis famæ tabulis inscripsit, quòd plures civitates facundiâ eloquentiâq; Legati hujus sui subegerit, quàm expugnarit armis; teste fidelissimo antiquitatis Secretario *Plutarcho* (c) Similem vim eloquentiæ, expugnatricem animorum pariter & urbium, in *JAC. STURMIO*, viro sui hîc nominis, agnoscit ac celebrat *Phil. Camerarius* (d), quodq; Respubl. Argentoratensis potentissimo Imperatori *Carolo V.* sine ulla sanguinis profusione nec gravi aliquâ multâ rursus post bellum *Smalkaldense* fuerit reconciliata & in clementissimi *Cæsaris* redacta potestatem, unicè *STURMII* hujus adsignat eloquentiæ. ut proverbium etiam tum emerferit, propter concinnam ambiguitatem non inelegans: **Kenser Karl habe dazumal die feste Stadt Straßburg / und den Schlüssel des Rheins mit Sturm erobert und gewonnen.** Eloquentia autem hæc præsupponit omninò, in Germanicâ etiam Linguâ, Oratorum veterum, Græcorum ac Latinorum lectionem diligentem. Licet enim unaquaq; Lingua peculiare suas habeat feratq; flosculos, quos si in aliena quis transplantare præta velit, nò semper æquè svaves sentiret fructus odoremq;, attamen credi vix potest, quantum Græcorum Latinorumq; Oratorum cognitio etiam illi, qui concinnam elegantemq; Germanicam cōscribere orationem cogitat, profit, quantumq; stylum illius emendet. Volumus tamen purum esse sermonem Germanum, & quoad ejus fieri potest, solis Germanicis dictionibus, civitate donatis, vel in vulgus saltim notis, constantem, non peregrinis vocabulis superbientem, vel opinionem aliquam reconditæ cujusdam eruditionis sibi lenocinantem. Dives omninò Germanica nostra materna lingua est, ut non opus habeat ex aliis linguis corradere vocabula & emendicare. Regia Lingua est, ad servitium ergò ejus stant tot voces purè Germanicæ, quot Regina nostra opus habet. Figuras orationis & aculeos non pro-

c) in *Pyrrho*.

d) *Hor. Subcis. Cent. 3. c. 68.*

hibemus, ut Orator sive Legatus à Latinis Græcisq; mutuetur, vocabula ut pariter, id v. nec necessitas, nec elegantia etiam requirere videntur. Sed & hæc eloquentiæ apud Legatum lex est, ne nimium luxuriet: Pauci enim hodiè inter Magnates reperiuntur, quibus tam patientes aures sunt, tantumque audiendi Legatos studium atq; ardor, ut *Alphonsum* Sicilia Regem imitentur. Referunt de hoc Historici, quod Legatus Florentinorum prolixam politamq; apud illum recitavit orationem, quam tantâ patientiâ intentioneq; Rex audiverit, ut ne oculos quidem ab Oratore diutissimè dicente minimùm deflexerit, nec manum etiam moverit. Illud autem cum primis ipse Legatus admiratus vehementer est, memoriâque dignum judicavit, quòd cum à principio statim Orationis naso Regis musca infedisset, non prius, quam peroratus ille esset, Rex illam abegerit. Rara attentionis hujusmodi summæ exempla apud priscos, apud recentiores adhuc rariora; ut verendum propè Legato sit, nisi vela orationis quandoq; contraxerit, ne ipsi contingat, quòd quibusdam apud *Henricum Gallia Regem, Magni* titulo insignitum, evenisse dicitur. Ajunt enim, Regem hunc, si quis prolixam coram eo exordiretur sermonem, alium quempiam eo neglecto advocavisse, sicq; incusso pudore ineptum illum à se abigere solitum fuisse. Videatur *Eno* (e). Nec præterire hîc Laconum responsum possumus, à *Plutarcho* (f) annotatum. Cùm enim Samnitum Legati multa loquerentur, pertæsi illi insolitæ prolixitatis eruperunt tandem: *Adeò fuit longa, ô Samnites, oratio vestra, ut priorum quidem obliti simus; quò factum est, ut quorsum posteriora dixeritis, non intelligamus.* Orationis autem anima est, ne à vero vel tantillum recedat. Requiritur itaq; ab Oratore Legato, tum ut causam Legantis ac Principis sui intrepidè agat proque veritate firmissimus sit, tum ne quid agat perfidè. Prioris egregium nobis exemplum Legatus iste Judæus est, à *M. Aurelio* introductus, *Vir ætate gravis, canitie venerabilis, & literis Ebraicis, Græcis Latinisq; egregiè eruditus.* Qui quàm constanti fortiq; animo Judicum Romanorum, Patriæ suæ præpositorum, crimina injuriasque S. P. Q. R. detexerit, prolixè in Horol. Princip.

e) lib. 2. *Coro.*
ad par. f. 165.
f) in *Apophth.*
Lacon.

cip. (g) legere licet. Annon fortitudinem insignem, veritate g) *lib. 3. c. 12.*
 suffultam prodit etiam Barbari cujusdam ad Alexandrum M. P. 485.
 Legati oratio, quando inter cætera in hæc verba erumpit:
 (h) *Quid tu? ignoras arbores magnas diu crescere; unâ horâ ex-* h) *apud Curt.*
stirpari? stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non l. 7. c. 8.
metitur. Vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum
ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoq; aliquandò
minimarum avium pabulum fuit, &c. quid nobis tecum est? nun-
quam terram tuam attigimus. Nec servire ulli possumus, nec im-
perare desideramus. & quæ sequuntur, digna omninò quæ le-
gantur. Veritatem autem redolere illam demùm dicemus
 Orationem, non quæ omnia, quæ in animo Legatus habet,
 prodet, sed quæ neq; in rerum narratione modum excedet, nec
 ex metu etiam dicenda occultabit. Volumus omninò, ut Le-
 gatus secretò quædam habeat, nec incautè omnia proferendo
 Patriæ proditor evadat ipse. Quapropter & Politicum Axio-
 ma est, à Guicciardino (i) annotatum, *nihil Legato manifestan-* i) *Hypomn.*
dum esse à Principe de suis vel Reip. rebus, nisi illud solùm, de Polit. p. 1.
quo expediendo ipse mittitur. Confer omninò tamen Tr. Galli-
 cum Instit. Politici viri (k) *Quamvis v. secretò quædam habe-* k) *p. 258.*
 re Legatus debeat, non ideò tamen ablegatur, ut vel splendi-
 dis promissis alios decipiat, vel aliud quidquam agat perfidè,
 id ipsum enim veritatis, quæ non exigua Legati virtus esse
 debet, repugnat legibus. Perit insuper Legantis auctoritas,
 cum vox opere haut juvatur. Ita Dn. D. *Christ. Matthiæ* an-
 notat, (l) quòd postquàm Pontificis Romani *Adriani* Legatus l) *Theatr. Hi-*
 in Comitibus Noriberg. 1522. institutis comparuerat, Ordini-
 busq; Imperii Rom. spem fecerat, liberiùs nonnihil loquen-
 do, de *Ecclesiarum emendatione, & Curia Romana reformatio-* stor. Monarch.
ne, ipsi centum gravamina Romam miserint. Ubi v. perven-
 tum ad rem est, Pontificis Legatus respondit, *malorũ omnium*
remedia non simul esse tentanda, sed PEDETENTIM esse proceden- 4. p. 739. &
dum. Id quod B. *Lutherus* festivo joco ita accipiendum cen-
 sivit, quod *singuli pedes atq; passus intervallum habeant aliquot*
seculorum. quod & eventus satis cõprobavit, postquam *Adria-*
ni successor cœpta ab Antecessore, prorsus annihilavit, teste
 cod.

m) *loc. cit.* eod. Dn. D. *Matthia* (m) Ut hinc adprobare possimus neutiquam Legati definitionem, quam *Henricum Vottonum* Magnæ Britanniae Regis Legatum, albis inscribere solitum fuisse dicunt, (n) quòd LEGATUS sit *vir bonus, peregrè missus ad mentiendum Reip. causâ*. Nec omnibus etiam æquè ac *Themistocli* fortuna hîc favebit, qui Patriæ suæ causâ egregiè *Lacedæmonios* decepit Legatus. Quæ historia cum elegantissimè à *Corn. Nepote* (o) memoriæ cōsecrata sit, isq; in omnium propè versetur manibus, malumus ad ipsum Nepotem Lectorem remittere, quàm inconditis nostris verbis svavissimam historiam referendo, maculæ quid aspergere eidem. Prudens sanè istud Legati stratagema fuit, ast magno cum periculo conjunctum. Ita *Gibeonitarum* etiam Legati simulatione prudenti seq; suamq; civitatem ab interneccione servârunt, impetrato à *Josua* populiq; *Israelitici* Principibus juramento. Fraudis tamen suæ iidem postea servitute perpetuâ justas dedere pœnas, ceu prolixè legere est *Jos. IX.* Ut indè miratio quædam subeat, quare exemplum hocce *R. Salomon Ben Nachman* (cujus verba cum versione accuratâ videre licet apud *CL. Job. Seldenum* (p)) pro illustratione eorum, quæ attulerat, nimirum *Josua* tria per literas terræ *Israelis* (quam divino mandato occupavit) denunciaisse, ut vel fugâ sibi confulerent, vel pacem cupientes in fœdus venirent, atq; ita *Gibeonitas* venisse scribit *רשכך*, vel si bellum vellent, arma susciperent, adducat. Sed quid de hisce, tum similibus aliis Legatorum stratagematibus sentiendum sit, haut facilè est ferre sententiam; cum primis si in illorum, apud quos causa peragenda, insigne vergant incommodum. Simulandi tamen artis non prorsus imperitum volumus Legatum, quin svademus potiùs, discat ille, quid sit

astutum vapido gestare in pectore vulpem.

ipse verò habeat prudentiam serpentinam in corde columbino. etenim

Simplicitas astu benè fermentata triumphat.

Οὐδὲν δὲ ἀπὸ τῶν περὶ αὐτῶν τῶν νικῶν ἐγενεα.

In

In affectibus verò gestibusque cum primis simulandi artem exercere & exerere feliciter Legatus potest: si nimirum rebus adversis hilarem sese præbeat lætaque; præ se ferat, contrà verò rebus prosperis subtristem se exhibeat, linguâ pariter & corporis habitu semper contrarius. Ita enim comparatum cum Legato est, ut in eum, ceu in hostem, omnium conjiciantur oculi, cujus verba non solum, sed gestus quoque; ac signa leguntur quasi, & ex cujus fronte, oculis, oris diductione, manuum commotione, & incessu denique nescio quid colligere exteri solent. Cùm denique; *non minus interdum Oratorium sit, tacere, quam loqui*, quare haut malè facturus Legatus est, si non usque; adeò audientiam urgeat, quin potius, ac si discedere velit, nisi æquiores conditiones ille, ad quem missus est, inierit, simulet constanter. Quâ in re felicissimus *Aug. Gisl. Busbequius* fuit, Legatus Cæsarius ad Imperat. Turcicum meritissimus, quemadmodum videre licet in epistolis ejus de Leg. Turc. Id verò etiam atque etiam observandum à Legato est, ne vel ad amicissimos etiam fidelissimosque, & ubi tutus videtur maximè, multum loquatur de iis, quæ Reip. intersunt, quorumque manifestatio detrimenti quid causæ suæ afferre possit. Notum enim est, occultatos sæpè fuisse observatores post aulæa, in conviviiis, quibus Legati excepti, ac locis aliis, quò illa, quæ inter sese ac cum suis Legati liberè ac securè mutuò conferrent, perciperent. Cujus rei exempla quædam suppeditant *Lipsius (q) Thomas Porcaccius, (r) Scipio Amiratus (s) ac novissimè Olearius Itin. Perf. (t) Atque hæc de sermonis vel orationis veritate, quatenus publicas res spectat, quomodò, quandò, & ubi proferenda. quod verò alios sermones attinet, ibi sermonis paucitas similiter Legati commendat gravitatem, sicuti etiam ubique; non minus verborum, quam nummorum honesta parsimonia est. Quò facit etiam scitum Rabbiorum illud: (u) מלה בסלע והשתוקה בשניים*, i.e. si verbum tetradrachmo, silentium duobus tetradrachmis æstimandum. Cùm v. Legati non uno semper commorari loco queant, sed sæpè hinc indè illis migrandum, diversaque; ad eunda regna sint, ubi nõ semper patriâ uti linguâ eis integrum,

B

quapro-

q) Comment.
ad Tacit.
r) not. ad
Gucciard. lib.
10. p. 476. Ve-
net. edit. de
anno 1583.
s) lib. 15. Dis-
sert. Polit. ad
Tacit. Discurs.
4. p. 504.
t) p. 389.
u) citat Buxt.
in Bibl. Rabb.
p. 290.



x) *Horol.*
Princ. Princ.
l. 3. c. 12. p. 485.

y) *lib. 6. c. 9.*

z) *Theatr. hi-*
stor. Monarch.
p. 4. p. 838.

a) *vid. edit.*
Dn. D. Fibig.
p. 235.

b) *cap. 16.*

quapropter & illum, Legati qui munere aliquando feliciter
fungi cupit, multarum linguarum peritiâ instructum esse cō-
venit. Quamvis v. nos non prætereant, sæpissimè per inter-
pretes agi, satiùs tamen multoq; utiliùs Reip. esse arbitramur,
si ipse Legatus Linguam populi istius ac Principis, ad quem
mittitur, vernaculam habeat cognitam. Non immeritò lauda-
tur apud *M. Aurelium* (x) Judæorum prudētia, quòd ad S.P.Q.R.
Legatum literis Ebraicis, Græcis Latinisq; egregiè eruditum
ablegârint. *Tales enim esse oportet Legatos, ut linguis ab omni*
parte instructi, in quolibet Disputationum genere palmam obtine-
ant, ait *Nicephorus Gregoras.* (y) Inprimis Linguam Latinam
Legatus calleat: est enim hæc vinculum quoddam commune
populorum Europæorum, ac omnigenæ scientiæ recondito-
rium. Quâ v. apud hunc vel illum populum Legatus uti lin-
guâ debeat, commodeq; possit, alibi forsan ostendetur specia-
tim. Neq; enim omnibus, quos apud Legatis est perorandum,
Regibus vel Principibus aliisq; tanta peritia Linguarû est, va-
rios ut possint suâ quemq; audire Legatos Linguâ, quemadmo-
dum de *Elisabethâ* prudentissimâ Angliæ Reginâ insignis
Theol. Dn. D. *Christ. Matthiæ* (z) memoriæ prodidit, quòd uno
eodemq; die tribus maximorum Regum Legatis, Latine uni,
alteri Gallicè, alteri Italicè audita sit. Quam ipsam si quæ
hodiè alia, certè Potentissima Sveciæ Regina feliciter referre
ac seculo repræsentare non sine admiratione, dicitur. An v.
propter hanc ipsam etiam causam in Aureâ Bullâ tit. 26. (a) Ele-
ctorib; injungatur, ut liberos suos in Electoratus dignitate fu-
turos successores ad 14. usq; annum in Linguâ Germanicâ,
Vandalicâ & Italicâ informandos curent, id quidem nolumus
adfirmare. Aliàs ex Capitulatione Augustissimi Imperatoris
FERDINANDI III. (b) notum, quòd in rebus Imperium concer-
nentibus nullâ aliâ, quàm Germanicâ aut Latinâ Linguâ ipse
Imperator uti velit, vel ut alii utantur, concessurus, nisi in illis
territoriis, ubi alia fuerit vernacula.

CAPUT II.

Dispiciat cum primis Legatus, quò *Grammaticè* etiam loquatur
detq; operam, ut & aliarum rerum ac scientiarum notitiam sibi
comparet. *Literarum gloria* quàm multos Legatos reddiderit gratos.
Etiam

Etiam ex minimis quandoq; gloria. *Arcana scribendi ratio* à Legato non negligenda. *Taciturnitas* quanta virtus sit, in Legato cumprimis. Hanc si obtinere vult, caveat sibi à *Luxu* diligenter: quem & propter alia *pericula* fugere debet. Hæc ipsa quàm inopinatò Legatos opprimant. Adversus hæc omnia tamen *immutus* persistat. Quomodò sese gerere debeat apud *gloriosos*? nec ipse nimium *gloriosus* sit, multò minùs *iracundiæ* indulgeat.

Famosissimus Annalium Ecclesiasticorum Architectus, inq; palliandis Clericorum suorum erratis satis callidus *Casar* *Baronius* ad annum Christi 1164. (c) historiã de Episcopo quodam Hilario Cisternensi refert non inelegantem. Legatus ille venerat perorandum coram Papâ Rom. Alexandro III. ac Purpuratorum ordine contra S. Thomam Cantuariensium Archiepiscopum. Cùm autem non semel *oportuebat* pro *oportebat* repeteret, sicq; de portu in portum cum suo *oportuebat* profiliret, soluti tandem in risum universi (scribit *Baronius*) sunt: inter quos unus prorumpebat hanc in vocem: *Malè* inquit, *tandem venisti ad portum*. Ita Sanctulos hosce Patres vel unicum verbum minùs Grammaticè formatum adficiebat, ut in gravissimo etiam consensu à risu sibi temperare haut potuerint. *Ferdinandus* Imperat. hujus nominis primus si adfuisset, forsan & hi quoq; illud: *PARUM ETHICE*; ab eo audire coacti fuissent, ceu Episcopo cuidam evenit, qui illum minùs Grammaticè loquentem his verbis ex nimia diligentia profectis submonuit: *MINUS GRAMMATICÆ*. Quicquid v. hujus rei sit, & num rectè istæc talia Legatis exprobrentur: nemo tamen puto, ibi inficias, hoc quoq; inter Legati referri meritò virtutes, si purè & Grammaticè loquatur. Quâ ipsâ etiã de causâ Rhetoribus Legationes fuisse olim demãdatas *Causinus* (d) pro- dit, inq; hanc rem adducit *Cyneam* Demosthenis auditorem apud P.R., *Anaximenem* apud Alexandrum, *Scopetianum* apud Domitianum, *Eusthatium Cappad.* apud Saporem Persarum Regem. Hoc v. cumprimis Legatus etiam operam det, ne oratio sua *nubes sine pluvia* sit. quod impetrabit, si variarum rerum cognitione ac rerum pondere pectus priùs impleverit, ac ingenium benè instruxerit; tunc enim splendidissimos de se effundet passim radios, si ipse priùs animum depulsis ignorantia tenebris irradiaverit egregiã doctrinã. *Uti enim aspectus*

c) Sect. 34.

d) de Eloq. sacra & hum. c. 7. l. 1. p. 8. 2.

e) Laertius in
Arist.

à circumfuso aere lumen accipit, sic animus à Disciplinis liberalibus (e) quanto perè etiam maximorum Principum animos inflammet igneus hicce, qui è Legatorum peritiorum sermone erumpit calor, experientia loquitur abundè. Ingenii quidem elegantia multis benignæ matris naturæ beneficio obtingit, (atque hoc ipsum bonum ad naturæ dotes, de quibus suprâ cap. 2. Disp. i. egimus, rectè refertur,) ast si, quantum literis hæc perficiatur, prolixius probare satageremus, nã ἡλὶω ἐν μεσημβρία φῶς δαίξεν, meritò diceremur. Gignunt literæ sapientiam, quæ cùm in singulis circumstantiis perquirendis occupata sit, efficit, ut qui illâ pollet, intimius res penetret. Firmat omninò sapientia iudicium ac format, radiisq; suis mortalium animos fascinat, ut is etiam, qui aliàs iudicio ingenioq; non optimo ornatus, occultare tamen non nihil possit intellectus infirmitatem, nullibi non aliàs emicantem. Summâ, Sola propè literarum scientiarumq; gloria est, quæ Legatos maximis Principibus reddit charos, quin iisdem familiares, aliisq; admirabiles, licet fuerint quoq; religionis diversæ. Sic de *Ponto* quodam Britannicæ Reginæ Legato *Paullus Odorbornius* memoriæ prodidit, (f) quod à crudelissimo Tyranno *Job. Baslide*, monstro potius hominis quàm homine, in intimam familiaritatem fuerit receptus, ita ut arcana quoq; rerum liberali fiduciâ cum eo cõmunicarit, magnaq; ex parte ejus consiliis Tyrannus regeretur. Nam (scribit laudatus auctor) is (Legatus Britannicus) erat atate atq; oris habitu gravis, ingenio & facundiâ insignis, cultiorum etiam literarum scientiâ & multarum rerum experienciâ perornatq; quibus virtutum dotibus apud immanissimum Principem tantus evaserat, ut in belli pacisq; negotiis nihil omninò decerneret, quod ad *Pontum* prius non esset delatum, in quo magnam vim rationis atq; solertiæ in expendendis & absolvendis negotiis mirabatur. Operam hinc det Legatus sedulam, ne communes argumenti formulas adhibeat, sed quandoq; novo planè modo allocutionem suam instituat, atq; in hoc quoq; eruditionem ingeniiq; ubertatem prodat; qua de re videatur subtilitatis Politicæ

g) *Dis. Subtil.*
Pol. s. 45. 46.

Magister egregius *J. H. Bœclerus*. (g) *Job. Dantiscus* Sigism. I. Poloniae Regis ad Carol. V. Legatus in tanta fuit apud Imperat.

perat. ob eruditionis excellentiam, gratiâ simul & auctoritate, ut cum Imperator resignato imperio, dimissis omnibus externis Legatis, ex Belgio in Hispaniam navigasset, eum solum comitem secum duxerit, posteaq; maximis auxerit honoribus, referente *Phil. Camerario*. (h) Nec Politicarum solùm scientiarum artiumq; penu Legatum instructum optamus, sed & de rerum Theologicarum suâq; fidei fundamentis certum. Cum n. haut rarò ad diversæ Religionis homines migrandum illi sit, non solùm imperitiam ac salutis suæ neglectum haut obscure, si Religionis suæ summam nesciverit, prodet, sed & eò facile adduci poterit, ut animæ suæ, heterodoxam religionem, amplectendo jacturam faciat. Quamvis etiam fieri aliquando possit, ut vel prudentissimus quoque, inq; religione verâ satis informatus, Paulum h. e. veritatem cœlestem cum Demate (i) relinquat, præsens seculum, mundanos honores divitiasq; magis diligat, & Thessalonicam (hanc vocem eleganter magnus quidam Theologus pulcrâ allusione ita h. l. exponebat: *ἦς ἀλλὰ νύκην, videl. διαβόλω*) migret. Quâ in re non possumus non insignem in Religione Christianâ cōstantiam, nec peritiam minorem celebrare *Aug. Gisl. Busbequii*, qui non solùm propositum sibi ab Imperat. Turcici Consiliario sive Viri-
firio primario honoris augmentum, si Christianâ religione abnegatâ ejuratâq; Turcicam doctrinam amplecteretur, magnasq; opum accessiones forti animo rejecit; sed in arenam quoq; de utriusq; religionis veritate cum Mohammedanis descendere haut trepidavit, reportatâ eapropter ab ipsis hostibus constantiæ eruditionisq; laude non exiguâ. Sed & occultæ scriptionis aut peregrinarum literarum non ignarum volumus Legatum. non quidem quasi exinde singularis eruditionis honor redundare in ipsum possit, quod quidem *Busbequio* evenit, qui acceptis è Belgio literis Belgicè scriptis, quas quia tùm interpres Turcicus, tùm Patriarcha Constantinopolitanus legere se posse strenuè negârunt, insignem reconditæ sapientiæ de se sparsit in Turcarum animis opinionem: sed ideò literis peregrinis, nec omnibus cognitis, quin etiam notis literis, at juxta peculiarem clavem transpositis (ceu nobis etiâ occul-

h) *Hor. Subcis.*
Part. 3. cap. 68.
p. 248.

i) *Vid. 2. Tim.*
4, 10.

k) ep. Legat.
Turc. 3. p. 188.

ta quædam scribendi ratio non ignota est, nec difficilis ea, juxta quam tamen scriptio aliquot mille modis ita variari potest, ut nisi quis clavem, quæ unicâ saltim constat voce, habeat, nullâ prorsus ratione eandem intelligere possit. Cum scriptione etiam tali comparatum ita est, ut licet ad mille exaremus literas, neuter tamen alterius possit literas intelligere, nisi alter alteri clavem, quam cum bis mille & amplius, singulis tamen peculiarem exhibendo, possumus communicare, indicari: Nos verò omnium, si tamen in scribendo quilibet traditam sibi clavem retinuerit.) Legatum uti volumus, ac proinde rei hujus peritum, ne si literæ Principis sui ab aliis interceptantur, arcana statim possint prodi. Quid? quòd non infolens sit, ab illis etiam Legatorum literas excuti & recognosci, ad quos missi illi sunt. Sic *Busbequius* memorat, quòd *Turcæ*, ex quo cognoverunt, adesse, qui literas ex Germaniâ ad se asportaret, literas istas sedulò pervolverint, id sine dubio in illis inventuros esse persuasi, quod nō pueri in fabâ. Sed quàm fuerint decepti, apud ipsum *Busbequium* (k) legere est. Ita in *Hispaniâ* more receptum esse dicitur, ut Legatorum res cunctæ excutiantur prius, quàm ipsi audiantur. Quam rem cum tantquam privilegio Legatorum contrariam dolenter ferret *Elisabethæ*, Reginae Angliæ Legatus *Th. Callonerus*, eaq; de causâ conquestus esset apud Reginam, responsum à Reginâ accepit, quòd Legatus in omnibus acquiescere cogeretur, nisi directè Legantis imminueretur honor & existimatio. Metu hocce facile Legatus liberare tum se, tum Principem poterit, si apocryphâ hanc scribendi rationem fuerit secutus. Quin & proderit illi arcana hujusmodi scribendi ratio ad moram nectendam, si rerum suarum commoditas talem requisiverit. potest enim prætere, ac si clavis, ad mandata Principis ita exarata spectans, nondum sit transmissa. Atque hujusmodi dissimulatio non prorsus improbanda. Neq; enim tenetur Legatus, statim extremam Mandati Principalis profiteri sententiam, quin pertentet prius, an melius quid utiliusq; quàm in mandatis habet, vel Legans etiam impetrari posse confidit, impetrare queat; ceu egregium exemplum nunquam satis laudandus *Busbequius* nobis suppe-

ditat.

ditat. (l) Id nisi cōcessum fuerit, tum demùm honorificū ducat, l) *Leg. iurc.*
ubi prima denegantur, in secundis tertiisq; consistere. Hoc i- *ep. 4. p. 268. m.*
psum v. dum agere cogitat Legatus, probè dispiciat, ne quis-
quam mandati sui ultimam summam cognoscat, quod haut
difficiliter futurum, si arcanâ scriptione à Principe vel mitten-
te consignari fecerit mandatum ultimamq; voluntatem. quæ si
in cuiuspiam malæ fidei notitiam pervenerit, maximoperè ve-
reor, ne iste, apud quem Principis sui causam agere tenetur,
istius conscius tantisper in suâ perseveret sententiâ, dum Le-
gatus extrema amplectatur. Id quod *Venetorum Legato* apud
Turcas evenisse *Busbequius* meminit (m) atque hoc ipsum an- *m) ep. Leg.*
sam moræ trahendæ dedisse Turcis, ne primùm Legatis statim *Turc. 3. p. 165.*
credant, sed firmiter statuunt, Legatos Christianorum varia ha-
bere mandata, atq; ita semper petita sua proponere, ut possint
salvo Principis sive Legantis mandato prius indicato quædam
remittere. Quod v. de Legato diximus, prospicere illum se-
dulò debere, ne cuiquam animi sui sensa facilè pateant, idi-
psum non solùm de negligenti aliquâ securitate dictum volu-
mus, sed & talem in Legato requirimus animum, qui nec ul-
lius etiam precibus, præmiis, imò nec minis, vel vitæ etiam dis-
crimine adigi possit, ut illa, quorum Reip. interest, hosti ma-
nifestet. Celebre hac in re pertinacissimum *Pompeij* Roma-
norum Legati silentium est. Is enim cum à *Gentio* Rege inter-
ciperetur, ac de manifestâdis Reip. arcanis sollicitaretur à Re-
ge, mortem potius non recusabat, quàm ut Senatus sui arcana
hosti proderet. Utq; Regi ostenderet, nihil se per tormenta
revelaturū, ardenti lucernæ admotū digitū cremandum præ- *n) rer. mem.*
buit, teste *Valerio Maximo* (n) ubi tamē pro *Pompejo*, *Perpernâ*, *lib. 3. c. 2.*
fortè legendum esse, suspicatur *Pighius* (o) Quin & Sacramenti *o) annot. in h. l.*
vinculo ad fidem adstringuntur Legati silentium, quod ipsum
ne ebrietate vel præmiis adducti frangant, sedulò omninò
prospicere habent necessum. *Si negligentiùs enim in suscepto*
Legatus quis functus officio. per animi tedium sociorum commodis
institisset, capitale meretur exitium, quale est, enunciaſſe hostibus
interna patriæ, pro quibus segniùs certasse sacrilegium fuit; lo-
quente Ennodio (p). Quare etiam atq; etiam muniendus Lega- *o) Dictionetq.*
to

q) lib. V. haut
procul ab ini-
tuo.

to animus est, ne intromittat internum hostem, luxuriam puta, ebriositatemq; quibus facile fieri potest, ut non solum famam prostituat suam, sed & mille seq; suamq; patriam exponat periculis. Fit sane haut raro, Legatis occasio ut prabeatur voluptatibus sese immergendi, hic nisi rebus suis ipse confu-
luerit, in maximum discrimen illas conjiciet. Persiæ Legatos *Herodotus* (q) memorat, ad Amyntam venisse, humaniterque ab illo exceptos Mulierum etiam concubinarumque appetivisse consortium. quod ubi illis concessum, hi verò nimis voluptatibus dediti indigna quædam perpetrassent, Alexandri, prædicti Amyntæ Filii iram in se concitârunt; quam cum ipse egregiè occultare sciret, effecit tandem, ut substitutis foemellarum loco juvenibus, morte sua temeritatis luxuriæq; pœnas Persæ dare fuerint coacti. Et quæ quæso Legatum privilegia sceleratè vivere permittunt? quod jus gentium? Quamvis enim forsitan pœnæ justitiæq; exercitium in Legatū enormiter etiam peccantem illi adimatur, ad quem missus, (non enim illius subditus fit per illud, quod in ejus terrâ vivit,) meritò tamen reservatur id Leganti ipsi. Sic egregium moderationis exemplum seculo præbuit *Moscovitarum Zara*, quò de
r) *Itin. Pers.* *Olearius* prodit, (r) quòd postquam Poloniæ Regis Legatus quidam ministrum ejus malè tractasset, ipse in Legato scelus hocce punire noluerit, sed miserit ad Legatum exploraveritque, num Regis sui nomine tale quid agat, vel suo? si prius, DEO ac fortunæ sese rem hanc committere; si v. posterius, velle sese id referre Regi: se enim dubitare nullum, quin Rex injuriam hanc sit vindicaturus. Quà de re prolixè videatur Vir sui nominis *Hugo Grotius* (s). Cæterum & Legatum, privatim honestè viventem, rebus suis prospicere volumus, munireq; se fideli sodalitia, ne quæ forsitan illi, vel invito etiam eo, ad quem mittitur, vis inferatur. cujus rei exemplum nobis suppeditavit Parlamenti Anglicani Legatus ac necis Regiæ Candidatus sive Promotor verius, *D. Dorislavv*, quem Hagæ Comitum cataphractorum manus, in ipsum diversorium penetrans aliquot vulneribus confossum trucidavit. Sed nec Legatum salvum ab illo præstare jura possunt populo, per cujus fines non impetratâ

r) *Itin. Pers.*
p. 110.

s) *de Jur. Bell.*
& *Pac.*

tratâ priûs veniâ ipse migrat, quippè quem Lex de Legatis non violandis non obstringit, cum primis, quando ad hostem tendit illius populi, aut ab hoste venit, vel hostilia deniq; molitur. Sed & animû quoq; suum Legatus ab omni metu, qui ipsum ut à Legantis mandatis recedat, adigere possit, liberû præstet: nihilq; non priûs experiatur, quàm ut vel tantillum ab illis dimoveri se patiatur. Non terreat illum horridus illius, coram quo perorandum ipsi est, conspectus, non moveant aulicorû vestes ac pompa, nō apparatus bellicus, non tormenta magno numero ostensa. Notum est egregium Legatorum Cæsaris *Henrici VI.* factum, ac responsum heroicum, h. e. Germanis dignum. Miserat Imperator Legatos ad *Alexium Comnenum* Principem Byzantium, magnum ut auri pondus sub tributi nomine ab eodem exigerent. Quâ re cognitâ, deq; Legatorum adventu certior Alexius redditus, mandavit suis aulicis, quàm ornatissimos adesse, ipse autem totus gemmis auroq; undique obrutus, non nisi splendor ac nitor erat. atq; ita Legatos Cæsaris introduci jubet, quò illis opes suas ostenderet, oculosq; eorum ita fascinando vanum potentiæ metum incuteret, ac à petitis recedere faceret. Legati v. homines Germani, h. e. fortes & magnanimi, nihil quicquam istâ re moti, optabant potius, tempus jam tùm instare, manus cum his ipsis effœminatis conferendi. Acriter itaq; pecuniæ solutionem urgebant, addentes tempus jam esse, ut Græculi aurum ferro permutarent: nisi enim ipsi voti sui redditi fuerint compotes, futurum, ut bellum inferant, pugnandumq; illis cum huiusmodi esse hominibus, qui non gemmis ut prata niteant, neque rotundis margaritis intumescant, aut amethystis purpuræ intertextis vestibusq; variegatis pavonum instar superbiant, sed qui veri Martis alumni flâmam ex oculis in aciem jaciant, ac quorum sudor splendidis guttis defluens referat margaritas. prodente id *Nizeta Choniata* (t). Sed quid si navium apparatus, tormentorum ingens numerus, armorumq; cumulus ostendatur, annon submissiùs res suas agat Legatus? Id fanè neutiquam. quin cogitet potius, fortiter sibi Legantis sui mandatis inhæredum esse, & hanc sibi esse legem supremam *Hippolytus à Collibus*, Vir

t) *Annal. circa fin.*

C

multis



multis Legationibus ac librorum editorum monumētis clarus, Electoris Palatini ad Rhenū Curiaē Præses, ac tum ad Electorem quendā Legatus, cūm Electoris istius jussu armamentarium magnā tormentorū aliorumq; sclopetorum vi instructū ipsi ostenderetur, & postmodum Elector super mensā quæret ex eo: *an & vester Dominus tale habet armamentarium, tantamq; armorum copiam?* perquā respondit scitè: *id quidem neutiquam, clementissime Domine, tantum autem testudinum* (instrumenta musica intellige, German. *Lauten*) *numerum possidet.* Instanti Electori: *quid hoc ad illud?* prudentissimè regessit: *Fuggerus magnis illas sumptibus, totum chorum musicum istis instruendum, coemit, Dominoq; meo dono dedit.* Ubi v. aliquando *Musica istis adornare voluit, nullibi reperiri tantus eorum numerus potuit, qui illis luderent* (u): Responsione hac quid prudentissimus Legatus voluerit, nemo nō, nisi qui sinciput in calcaneo gerit, facilè intelligit. Magnā tamen hīc prudentiā opus est, probeq; considerandum, apud quos hujusmodi talia proferantur, cūm fieri possit, ut joci isti, nisi innoxii fuerint, malè Magnates habeant, exindeq; Legatis periculū exurgat haut leve. Sed attendere quoq; Legatus debet, ne & sui Principis divitias nimiūm hosti deprædicet, isq; nimio tangatur illarum potiundarum desiderio, ceu in *Philippo* Rege videmus Macedoniæ, apud quem cum aliquādo *Demades Atheniensium* Legatus, Orator facundissimus, idemq; pictoriæ artis scientissimus, Athenarum pulchritudinem divitiasq; nō verbis solūm exquisitis deprædicasset, sed & stylo quodam in tabula urbis palatia egregia depinxisset, ea in *Philippo* excitata fuit cupido, tam splendidæ urbis nanciscendæ, ut in hæc verba eruperit: *Ut urbs hæc mea sit, ferro efficiam vel auro.* Hoc quoq; Legatus observet, ne ad IRAM facilè cōmoveatur; occæcat enim hæc oculos, ut quid profit nobis, non solūm non videamus, sed & illa proferamus, quæ postea non dicta vellemus. Sic Regis Po-

u) Refert.
Zinggr. A-
pophth. Germ.

x) Vid. Neugebaueri Hist. Rerum Polon. p. 246.

y) lib. 17. Subtil. p. 883.

loniæ Legatus ad iram Crucigerorum Magistri superbis ac thraſonicis verbis incitatus ea protulit, quæ postea non dicta maluisset (x). Rectè proindè Cardanus: (y) *In Legatione insolentia, temeritas, verbum inconsideratè prolatum tot bella, tot cades* tumult-

tumultusq; efficit, regna evertit, vastasq; efficit regiones. Ira v. est, quæ mentes hominum fascinat, ut fiant insolentes, inconsideratè loquentes, temerarii. Hac propter & arcenda à Legationibus viri prudentes morosa svadent ingenia, cum primis v. fastuosa & arrogantia. Neque enim dura duris junguntur, sed mollia duris conglutinantur & coalescunt. Morositas aliam provocat, fastus fastum.

CAPUT III.

Legati Gallici novum inventum quoad externi honoris indicinam. Ceremoniæ in honore cultuq; Politico exhibendo apud varias gentes variæ. Quomodo Legatus in tali sese casu gerere debeat? Corporum inclinatio apud Persas. Gallici Regis subditorum aliorumq; discrimen in Regis cultu. Ceremoniarum Magistri. Dracula minùs æquus morum arbiter. **Calotten.** Moderari sciat Legatus adfectus suos, ridiculosq; aliorum mores sine risu adspicere discat. Quoad vestes etiam nonnunquam aliorum mores sequatur.

DE Gallia Regis Legato, Dresdæ qui nuper Serenissimum nostrum Electorem salutavit, à Viro fide dignissimo non ita pridem nobis referabatur, illū id moris quoad ceremonias (ceu Galli circa has religiosissimi sunt) gestuum observasse, ut totā istā viā, quæ è diversorio ad aulā ducit, capite aperto apparuerit, forsā ne caput pro hoc vel isto minus digno detegendo in Regis sui majestatem peccaret, vel Serenissimi Electoris honori quid detraheret. Incumbit sanè Legato, ut circa hujusmodi etiam talia, primo atq; externo intuitu levia utut videantur, curam adhibeat ac prudentiam. Cū v. ritus isti apud populos diversos diversi etiam sæpissimè sint, necesse quoq; omninò erit, ut Legatus non suæ solū gentis mores & ceremonias perspectas habeat ac benè cognitatas: verū etiam utile illi fuerit, scire, quam submissionē hic vel iste honor, gestu externo exhibitus, apud populum illum, ad quem mittitur, importet. Apud Persas summam corporis inclinationem usu receptam fuisse, suprā percepim⁹, à quo honoris genere ne exteri quidem Legati immunes erant, ceu ex Herodoto & Nepote liquet. Econtrā apud Gallos, ubi ordo populi genu flexo Regem alloquitur, non exterorum solum Principum Legati, sed & cleri, nobilitatis ac Parlamenti Gall. Oratores ab hoc officii

z) lib. 13.

genere abstinent, inq; vestigio sic stantes, illi nec in vestigio stantes, sed aperto etiam capite, quin sedentes etiam, si Rex sederit, Regem compellant: refert *Gramondus* (z). Hoc igitur nisi Legatus probe observarit, atq; ita mores suos composuerit, prout cujusq; regionis Regniq; ratio exigit, vel invidiam sibi, si debitum honorem non exhibuerit, contrahet, vel subjectionis titulo Principem suum vel Remp. à quâ ablegatus, si videlicet nimium sese submiserit, onerabit, certè suspicionem nonnullis sinistrè judicandi præbebit. Exemplum in *Genevensium* ad Gallia Regem habemus Legatis, qui cum provoluti in genua Regem salutassent, curiosis rerum indagatoribus id annotatum, & mox subtili, judicante CLarissimo subtilissimoq;

a) *Dis. de subtil. Pol. S. 49.*

Politico J.H. *Bæclero* (a) interpretatione eò tractum, quòd *Genevenses in protectionem Christianissimi Regis recepti, clientum obsequia præbere ament Patrono & Protectori suo.* Amant tamen nonnulli Reges peculiarem sibi ab externis quoq; Legatis honorem haberi in gestibus, què & sine Legatis dedecore Legati præstare possunt ac etiã tenentur. Còmodè subtilitatibus hisce in regnis quibusdam prospectum per *Ceremoniarum Magistros*, cujusmodi in Angliã esse, ex Historiã *Henrici VII.* à Fr. *Bacone de Verulamio* in literas redacta discimus. (b) quin & etiamnum officiales hujusmodi in Regno isto sub nomine hoc reperiri, qui adventantes Legatos excipiant, è Belgarum in causâ decollati jam Angliã Regis Londinum commissorum Legatorum *Journail* sive *diario*, quod *Memoriali Anglicano* nuper edito insertum, haut obscure colligere est. Censorem hujusmodi morum, sed nimis durum atq; austerum, experti etiam Itolorum Principum Legati in *Dracula* ipso, *Walachia* Principe vel Tyranno veriùs, magno cum dedecore suo doloreq; sunt. Cùm enim missi ad *Draculam* illi essent, pileisq; honoris ejus gratia detractis *mitellas* (quæ hodiè vulgò *privilegier* *Münzen* vocitari solent, s. Gallico quoq; sermone *Calotten*/Germanicum enim vocabulum non satis extare aptum ad hujusmodi *mitellas* exprimendas nonnulli putant. Neque etiam vidimus hætenus, quibus nova *ἰνομαστορία* vel potius *lusus* magni cujusdam in Belgio viri approbatus fuit:

fuit: Relatū enim nobis à viro fide dignissimo olim fuit, quòd celeberrimus quidam in Belgio Vir, ubi de adpellatione mitellæ hujusmodi speciali sermo incidit, dixerit, quare nō **Kopfschuch** vocare velimus, ad modum **Handschuch**, etymologiā arcessita à **Schuch** /) capitibus non demissent, rogavit Dracula, quid ita tectis ad se venirent occipitiis. Eis consuetudinem vetustissimam allegantibus, quā apud eos receptum esset, ne Imperatorem quidem Romanum aliter salutare. *Laudabilem, ait, morem vobis confirmatum dabo. Et clavis cuiq; ferreis quatuor mitellam suam capiti affixit, ne quando scilicet morem suum antiquum migrare cogerentur.* Refert ex antiquā quādam vitæ Draculæ descriptione nobilissimus Germaniæ Philologus *Caspar Barthius*, (c) *cujus iudicium acre & cri-* c) *Adversar. lib. 45. c. 14.* fin, quam felicissimè & contra omnes retrò exercuit, non im- meritò deprædicat Philologus haut minor, & Orientalium infuper Lingg. peritiā excellens *Thomas Reinesius*. (d) Sed face- d) *Var. Lect. lib. 1. c. 8. p. 23.* re non possumus, quin de eodem Dracula aliam adhuc re- censeamus historiam, è quā adpareat, quā humanus scil. ad- versus Legatos is fuerit. Missus aliquando ad eum Legatus quidam erat, homo innocens & gravitate morū eruditioneq; admirabilis. Hunc audire noluit, nisi ut manu prehensum, ve- lut in viridarium aliquod aut amœnam sylvulam, in locum patibulis crucibusq; confixum duceret, & inter infelicia ligna deambulans fœtore & honore tot cadaverum enecaret. Qui eum sequi belluam coactus quereretur de immanitate rei, & qua necessitate coactus putorem tam horrèdum ferret, eumq; ultrò sequeretur, rogaret: illico accitis carnificibus & ipsum palo confixit, *non meliùs se posse naribus ejus consulere, dicens, quàm ut aulam deinceps ipsius frequentaturus adsvesceret odora- tui suo quotidiano.* O tremendum Legationis munus! ô crude- lem Ceremoniarum Magistrum! Debemus v. similiter histo- riam hanc à temporum injuriā servatam fidelissimo antiqui- tatis promo condo, *C. Barthio*. (e) *Juvat, non immeritò exclamat* *Sext. Aurel. Victor*, (f) *Scriptor Imper. Romanorū candi-* f) *Epitom. in vitâ. Calig.* *dissimus, de Principibus omnia nosse, ut improbi saltem fama me- tu prava declinent.* Verum quid apud hos illosq; populos à Le-

gatis circa ceremonias gestusq; observari debeat, alibi forsan, ubi specialiter de nonnullis Regibus ac populis illorumque Legatis, tum quomodo aliorum Legatos accipiant, agi poterit, dicendi erit locus magis commodus. Summâ ut dicamus, sicuti in vitâ communi pulchrum omninò est, sic componere corporis habitum moresq;, ut humanitatem decente gravitate conditam & temperatam quasi, ubiq; præ se ferant: ita cum primis in Legato exemplar vivum elegantissimæ hujusmodi mixturæ conspici optandum. prodit v. omninò insignem gravitatem, iis oculis qui ridiculos aliorum adspicere mores potest, ne in cachinnum statim solvatur. Neq; n. quicquam ægrius humanum fert ingenium, quàm in iis derideri, ubi gravitatem quærit summam. Adeò v. nullus populus amens est, quin ubique gravitatem quærat & honorem, moribus licet à nostris alienissimis, ac proindè talibus, quorum inspectione nemo nisi qui optimè sibi moderari noverit, à risu facilè temperare sibi queat. Atq; ut eò facilius non solum aliorum mores ridiculos, sed errores quoq; manifestos sedato animo vultuq; sereno Legatus adspiciat, svademus, in se ut descendat ipse, & *δεῖς γὰρ ἀνθρώπων ἀνδρὸς ἀπαντὰ σοφός*: juxta illud Græcorum. Error enim & stultitia si dolor essent, omnium, atq; adeò suæ forsan etiam ædes planctu personarent. Et certè, primus ad stultitiâ gradus est, sibi videri sapere. Ac si, quod vulgò dicitur, *quilibet in sinu stultum gerit*, ille censendus omninò sapiens fuerit, qui ita occultare potest, ne promineat. Sed & in hoc prudentiam suam testatam reddet Legatus, si ubi vestitus moresq; sui ab exteris, apud quos vivit, deridentur, haut dolenter id tulerit, sed quasi rem indignam, ob quam irascatur, habuerit. Multò v. minus ægrè ferat, si Princeps obstiterit, ad quem mittitur, ne tali vestitu ipsum adeat. Imitatus hâc in re *Luitprandum*, qui non repugnavit, ubi, dum Legatione apud *Nicephorum* Orient. Imperat.ungebatur, erepta illi fuere vestimenta purpurea, ne honos Imperatori Orientis (ut eorū erat persuasio) soli debitus, Principibus Occidentis cōmunicaretur. Vid. *CL. Barthius* (g) Quin nec renuat, iis vestibus, si quas forsan dono ei Princeps aut Rex, ad quem mittitur, dederit, coram Principe cōparere. Quâ

g) *Advers. lib.*
22. c. 20. p. IIII.

Quâ in re cùm minùs se facilem præbere Holsatiæ Legatus
Brugmannus vellet, victus tamen Persarum tandem precibus ac
suorum rationibus fuit, morem ut istû observârit ac Persico habi- h) *Itin. O-*
tu Regem Persarum aliquando accesserit; teste *Oleario. (b)* *rient. p. 410.*

CAPUT IV.

Contra *calumnias* immotus Legatus persistat, ac mendaciis satis-
factum putet, si modò conscientia ex asse satisfactum. In-
primis felicem se æstimet, si Principis saltim sui favorem illæ-
sum servârit. *Mortis periculum* quando ac quomodò Legatus
subire possit? *Munera acceptare* ab iis, ad quos mittitur, integrum num
Legato sit? An Legatis libertas accipiendi honestè munera relinquen-
da? *Atheniensium, Venetorum, Corinthiorum* item ac *Romanorum* circa
hanc rem consuetudo. *Angliæ Regis* prudens factum. Non admittat
Legatus munera insolita ac modum nimis excedentia.

Illud autem moderatissimæ mentis indicium est, si ubi egregiè
de Patriâ in Legationibus meritis quis, ab invidis tamen & ca-
lumniatoribus pessimè ista officia sua traduci experitur, fortiter
spicula illa excipiat, nec ita intemperie malè sanorum ingenio-
rum moveatur, ut illis par pari referendo, reddatur similis: quin
potius contra Lingua gladium patientia præbeat scutum, lon-
geq; gloriosius ducat, *honestatis fructus in conscientia reponere,*
quàm in famâ; sciens, quod non in nostrâ manu sit, quid de no-
bis sentiant alii vel loquantur, sed ne jure id faciant, hoc in no-
strâ manu esse; *maximamq; habeat adversus omnem calumniam*
securitatem, innocentia gerere fiduciam: quemadmodum præsi-
dium hocce suggerunt Laudatissimi Imp. *Diocletianus & Ma-*
ximinus (i). Conscientia namq; si satisfactum, non opus semper
est, ut satisfiat etiam calumniis & injuriis, quas non minus ac ^{i) in L. 10. C.}
pillulas Vir prudens rectius deglutiendas putat, quàm masti- ^{de his, quib9}
candas. Hoc si præsidio Legatus animum suum probè muni- ^{indig.}
verit, facilius evitabit serpentinos aliorum morsus, inq; rebus
suæ curæ commissis progredietur longè felicissimè. Atq; ita
fortissimum & intrepidum Legati exoptamus animum, usque
adeò, ut *tutissimum existimet, timere nihil,* (quod celeberrimi no-
stri BUCHNERI Symbolum olim fuit) *præter DEUM.* Semperq;
secum

secum cogitet Italorum proverbium scitissimum: *S' il SOLE mi
splende, non curo la LUNA.* Etenim

Jupiter ut faveat, veniant facto agmine cuncti

Dii minorum gentium.

Usque adeò fortem Legatum esse decet, ut nec mortem timeat ipsam, si Reip. salus tale quid postulaverit. Ubi tamen nemo svadebit, ut impetu quodam procurrat Legatus ad mortē, quod militibus incumbit, sed deliberet potiùs priùs ac causas expendat, utque svaserit ratio, vitæ mortisque consilium suscipiat, promptusq; tum sanguinem pro patriâ profundat. Hoc enim INGENTIS EST ANIMI. Sed quid, si Princeps vel is, ad quem mittitur Legatus, sub capitis periculo prohibeat, ne ipsum accedat, quid tum agendum Legato est? ibi dicimus nos, respicere debere Legatum ad circumstantias, & casus considerare. Fieri enim potest, ut justè aditum intercludat Legato Princeps, & tum satiùs ducimus, scripto mandatum suum si Legatus exsequatur. aliquando tamen ex indignatione saltim aliquâ aditum Legato Princeps interdicit, & hoc rursus duplici de causâ, vel propter Legati personam, vel propter rem, quam proferre Legatus tenetur. Ita *Franciscum Gallie Regem* referunt, ubi *Caroli V.* Legatum adventare audiit, crucem pro legati palatio figi mandasse, insimulque Feciali vel Legato denunciari, certum illi crucis imminere exitium, si mandata sua exposuisset: verebatur enim Rex, ne audire quid à Feciali cogeretur, suo quod nomini Majestatiq; labem aliquam adspargeret. In priori casu rectiùs forsàn fecerit Legatus, si accessum dissimulet; quod tamen ne usu veniat cavere poterit Legatus, si in deligendo Legato id advertat præprimis, tali hoc munus ut cōmittatur, qui illi sit gratus, ad quem mittitur. in posteriori omninò requiritur, ut metu omni seposito Legatus causam sui Legantis agat. Sed quid tandem præmii referat Legatus pro tot periculis, pro tot vigiliis, molestiis ac laboribus, quos Patriæ causâ exantlare tenetur? De tali ut Legatus illi prospiciat satiùs ducimus, quàm si ab illo, ad quem ablegatur, acceptare vel sperare cogitur. Hoc enim nimis invidiosum, ac plena periculi res est, illud neutiquam. Neque tamen repugnabit, vel sinistrè interpretabitur Princeps, si munu-

si munusculum etiam ab illo Legatus acceperit, ad quem mittitur, nisi tamen nimis amplum donum illud fuerit, vel corruptelae ac animi nundinandi causam oblatum. Experimentiam sane jam pridem edocti sumus, cum Princeps aliquis Legato alterius Principis insolita prorsus munera offert, eo ipso plerumque castimoniae fidelitatis strui ab ipso insidias. Quam in re felicissimus *Ludovicus XI. Galliae* Rex fuisse dicitur, qui pro arcano habuit aliorum Principum Ministros donis vel pensionibus sibi conciliare; annotante *Comineo* (k). Adprobare tamen ea propter non possumus plane Atheniensium morem, qui Legato, utat egregiam ac honorificam perquam pacem Atheniensibus cum Persarum Rege procurasset, ob id solum, quia munera acceptasse credebatur, in tantum irascebantur, ut penes capitis ille supplicium subire fuisset coactus, memorante *Xenophonte*. (l) Simili tamen ratione & *Veneti* Legatis suis capitali poenam statutam, ne munera acceptarent, prohibere, ceu memorat *Alberic. Gentil.* (m) De *Corinthiis* itemque *Romanis* paria traduntur, teste *Zonara* (n) & *Val. Maximo* (o) Mitior his *Moscovitarum* Rex, qui Legatis ad se redeuntibus omnia auferre dona dicitur. Videatur *Jovius* in *Icon*. Sed aequissimi nobis ii videntur Judices, qui Legatis, quorum in *Remp.* merita ac fides probata, non solum non interdunt, munera acceptare, sed etiam illis ipsis de Legationibus, quibus aliquid praemii annexum prospiciunt. Sic merito laudatur prudentissimum *Henrici* Angliae Regis consilium, qui cum *Alphonso* Calabriae Duci Insigne *Ordinis Perisfelidis* transmitteret, Legationem tam favorabilem in *Vrsovicum* contulit; ut ei post multas Legationes, unde nihil lucri percipi poterat, propter liberalitatem Ducis *Alphonso* praemii loco esset, prout memorat *Baconius* (p) Probe itaque discernendum videtur inter illa dona, quae Legatus re adhuc nondum confecta accipit, & ea, quae discedenti illi mittuntur. Sic passim apud Auctores illa commemorantur dona, quae Legatis valedicentibus oblata, tum a Regibus ac Principibus ipsis, ad quos illi missi, tum ab illorum Consiliariis ac Ministris. Ipse *Busbequius* ad *Suleimanum* ab Imperat. Rom. Legatus memorat, (q) quod ab *Hally*

k) lib. 4. Hist.

l) lib. 7. Rer.

Grac.

m) lib. 3. de

Leg. c. 3.

n) Annal. 2.

o) lib. 4. c. 3.

de Abst. & continent.

p) in ejus vita.

q) ep. 4. p. 270.

D

inter-



r) *Itin. Orient.*
p. 409.

s) *Vid. ejus*
Iter Germ.
p. 334. *subjūctū*
Tr. de Partic.
Statu Regim.
S. C. Maj.
Ferd. II.

intertextam, aliaq; nonnulla discedens dono acceperit. Quam
splendida etiam munera Persarum Rex Serenissimi Holsatiæ
Principis Legatis offerri curarit, legere est apud *Olearium*. (r) Ipse
etiam *Daniel Eremita* (pessimus ille morum Germanicorum cen-
sor) Comes primarius Legationis Magni Hetruriæ Principis ad
Imperat. Rom. & ceteros quosdam Principes Germaniæ com-
memorat, quod Legatus tum ab Electore Saxonix, tum ab An-
haltino Principe torque aureo fuerit donatus. (s) Et hujusmodi
munera ordinariè fermè Legatis cum gratià discedentibus of-
ferri solent. Talia si Legatus admiserit, veniam facilè à Prin-
cipe suo impetrabit. In extraordinariis, quæq; ante confectas
Legationis commissæ partes illi mittuntur, probe dispiciat Le-
gatus, quid agat. Cùm enim munera Deos hominesque pla-
care soleant, videat Legatus, ne largitionibus corrumpi se pa-
tiatur, & vel tacenda proferat, vel dicenda urgendaque negli-
gat. ad *Demosthenis* exemplum, *qui plus accepit, ut taceret, quàm*
alii ut loquerentur. Et licet nil perfidè agat, vel agere etiam
conetur Legatus, facilè tamen fieri potest, ut sinistram de se
Leganti præbeat suspicionem, si in admittendis extraordinariis
donis nimis liberalis vel avidus potiùs fuerit. Quomodò verò
oblata honorifice declinare debeat, in *Ethicis* docetur.

CAPUT V. & ultimum.

Promissi de speciali Legatorum historiâ contexendâ,
non servati ratio redditur, ac remittitur Lector ad Auctorum de
Legatis primipilos. *Paschali* laus. *Marselaer* de Legatis it. *Putea-*
nus, *Octavianus Magius*, *Conradus Bruno*, *Besoldus* &c. Votum pro Lega-
torum *Noribergæ* congregatorum felici expeditione in pace Germaniæ
prorsus stabiliendâ.

Volupte quidem nunc esset, promissis nostris stare, specialemq;
de Legatis Dissertationem, prioribus si non jucundio-
rem, certè æquè jucundam instituere. atque adeò ordine recensere,
quo in honore apud *Ebraeos*, *Syros*, *Arabes*, *Persas*, *Romanos*, *Gre-*
cos, *Germanos*, *Gallos*, *Italos*, *Venetos*, *Hispanos*, *Anglos*, *Svecos*, *Da-*
nos, *Belgas*, *Polonos*, *Russos*, *Tartaros*, quin *Indos* etiam *Barba-*
rosq; alios exteri Legati fuerint, quos etiam invicem miserint
ipsi,

ipsi, quibus item muneribus, quò ritu ac solennitatibus excepti,
 quâ perorare apud hos vel illos Linguâ more legibusque rece-
 ceptum, & hujusmodi talia plura, quæ adfecta jam maximam
 partem habemus. Verùm eùm pagellarum angustia instituto
 nostro frenum quasi injiciat, meritò receptui canimus. Remit-
 tentes interim rerum harum cupidum ad *Carolus* cum primis
Paschalius, egregiè illum à CL. *Bæclero* commendatam (t) ac
 summopere à *Gabriele* etiam *Naudæo* laudatum, (u) adeò quidem,
 ut politioris doctrinæ luminibus illustrem, ordinis ac metho-
 di perspicuitate clarum, soliditate judicii maximè præstantem,
 ac talem in omnibus *Naudæus* eum habeat, ut eo veluti dictan-
 te non *Villerius Hottomannus* modò, sed quicumque post ipsum
 de Legatis scripsere, loquuti sibi censeantur. Proximum à
Paschali idem non immeritò *Federicum Marselaerium* habet, ita
 tamen ne *Puteanum* etiam prorsus sine honore dimittat. Mar-
 selaerio ab elegantia styli, non autem rerum ubertate ac varie-
 tate componit *Octavianum Magium*, (forfan *Hieronimi* illius
Magii, cujus lucubrationes elegantissimæ in *Thesuro Critico*
Gruteri habentur, quemque ob ingenium eruditionemque melio-
 ri omninò exitu dignum æstimat, quanquam utroque sic quoque
 immortalem, CL. *Barthius*, (x) cognatum) & auctorem quen-
 dam anonymum *Legati Pontificii*. De *Conrado Bruno*, *Joh. Co-*
kier, *Anastasio Germonio*, *Stephano Doletto* & *Motteo Vajerio* idem
Naudæus tradit, quod ad *Jctos* accedant, quemadmodum *Scipio*
Gentilis ad *Philologos*, & *Canonberius* ac *Gaspar Bragaccia* ad *Pol-*
iticos. Potuissent verò & alii à *Naudæo* nominari, de Legatis
 qui scripserunt. Quir enim *Hippolytum à Collibus*, prudentissi-
 mum Politicum, *Christophorum* it. *Besoldum*, *Joh. à Ridinger* ac
Kirchnerum, Viros non incelebres prætereat, causam equidem
 non videmus. Quod v. idem Cl. *Naudæus* testatur, nunquam
 concessum sibi fuisse *Cratem* aut *Phalereum* de Legatis legere,
 idè & nos de nobis testamur: quin profiteamur etiâ, noluisse nos
 in consilium adhibere, quin ne adspicere quidem quenquam
 è prædictis auctoribus, quamvis nonnullos facile impetrare
 potuissemus. idque studio à nobis factum, ne scilicet objice-
 re quis

t) *Indic. ad*

Corn. Nep.

Boce Legatus.

u) *Biblio-*

graph. Pol.

x) *Adversar.*

p. 1602.

re quis nobis posset, quasi alienâ vitulâ arassemus; tum etiam,
quò majori cum voluptate hujus rei cupidus memoratos evol-
vat auctores, quippe quorum scrinia compilare nos nolimus.
Secuti igitur prædicti *Naudæi* consilium sumus, speravimusq;
omnes hosce auctores non mediocriter illustrari posse parti-
cularium gentium historiis, quarum nonnullas & nos evolvi-
mus, idque in speciali de Legatis tractatione probatum dare-
mus, si per chartarum angustiam jam nunc subjungere istam
fas esset. Hâc igitur exclusi Legatum nostrum recedere nunc
jubemus, & in scenam hæctenus productum jam revocamus. ar-
dentissimè precantes *Angelum seu Legatum Fœderis CHRISTUM
JESUM*, dignetur ipse *Potentissimorum Heroum Orbisq; Europæi
Principum supremorum*, *Dñi. LEGATOS Noribergæ Germaniæ*
ocello adhuc congregatos, spiritu roboris ac sapientiæ ita in-
struere, quò spem de pace optatissimâ reducendâ *Osnabruggæ*,
ac *Monasterii* excitatam, confirment feliciter stabiliantque,
atque adeò pro CHRISTI nomine & Christianorum sanguine re-
verà decertent; pro hoc quidem, ne ampliùs protervè effun-
datur; pro illo, ut purâ Evangelii prædicatione magnificetur,
ac celebretur in seculorum secula. Ita faciat Angelus pacis!
Qui nos denique, & omnes Theologiæ asseclas sic erudiat,
Sanctique sui Spiritûs donis beet, quò digni aliquandò eva-
damus, qui coram populo suo mandata ejus ac voluntatem,
cùm ipsi visum fuerit, imperterriti loquamur, omneque ad-
hibeamus studium, ne quid Ecclesia per nos nostramque ne-
gligentiam capiat detrimenti. Sic tandem futurum, ut cùm
ab officio nos nostro ipse revocarit & exsecuti muneris ratio-
nem reddere accuratissimam jusserit, Legatis jungamur cœle-
stibus, in sanctâ Hierosolyma: eximiumque cum omnibus
piis recipiamus pro exantlatis laboribus præmium, coro-
nam videlicet justitiæ splendidissimam eamq;
immarcessibilem. Amen!

A. T. ©

VO A 6412

ULB Halle

3

002 920 379




VO 77

Retro ✓







35

בשם מלאך הכרור:

LEGATUS,

Disertatione Politicâ geminâ
repræsentatus,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES ERNESTO

GERHARDO JENENSE, Coll.Philof.Adj.

in almâ LEUCOREA
publicè ad disputandum
propositus

JOHANNES CHRISTOPHORO Schmid/.

Dresdenſi.

Disputatio posterior

Habebitur in Auditorio Philoſophorum
horis antemerid.

d. XXVII. Martii

è Chalcographèo JOBI WILHELMI FINCELII,
Anno M D C L.

